DE HELIA MONACHO ISAACO MONACHO PSEUDO-DRACONE

SCRIPTORIBUS METRICIS BYZANTINIS.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

LUDOVICUS VOLTZ

DARMSTADIENSIS.

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER.

MDCCCLXXXVI.

Aulae Vimariensis officina typographica.

τὸ ε̄ καὶ τὸ ω̄ς̄ εἰς μίαν μακρὰν κατὰ συνίζησιν ποδίζεται, ὡς εὐθέως προϊόντες γνωσόμεθα. His ultimis verbis remittuntur lectores ad caput περὶ συνιζήσεως, et cum in demonstrando τρίτῳ τρόπῳ τῆς κοινῆς idem versus explanatorius inveniatur, qui pag. 183 legitur, dubium non est, quin in hac Appendice I Heliodori doctrina περὶ συνιζήσεως et περὶ χωλαινόντων ἐπῶν servata sit, quam refert Choerobosci Exegesis l. c.

Cum eis quae exposui bene illud convenit, quod eodem modo quo in Heliodori explicatione περὶ κοινῆς συλλαβῆς apud Choeroboscum servata hoc quoque loco maiorem exemplorum numerum congestum videmus, quam ceteri scriptores metrici coacervare solent, et quod loquendi consuetudo ab Heliodorea non abhorret.

Nec tamen ipsius Heliodori verba integra servata sunt. Legimus enim pag. 182: Ἡλιοδώρῳ δὲ δοκεῖ ἐπὶ πολλῶν τὴν δασεῖαν πλέον τι νέμειν in explicando versu

Τρῶες δ' ἐρρίγησαν, ὅπως ἴδον αἰόλον ὄφιν,

quae verba ab Heliodoro scripta non esse apparet. Fortasse omnia illa, quae pag. 182 inter τάχα et νέμειν leguntur, ab eo qui hanc explicationem ex Heliodori scriptis (ex εἰσαγωγῇ ?, cf. Choerobosci Exeges. pag. 55, 13) excerpsit, addita sunt mutatis Heliodori verbis, quae apud Choeroboscum pag. 52, 22 sq. exstant.

Similem illam, quae in 'Scholiis Hephaestioneis B' pag. 21, 15 sqq. circumfertur, doctrinam ex hac Heliodori et ex Hephaestionis explicatione (enchir. cap. II) conflatam esse facile cognoscitur:

Etenim synizeseos genera haec enumerantur ab Heliodoro:

– – :	ἢ λάθετ' ἢ οὐκ ἐνόησεν ⟨*I* 537⟩, ἢ οὐχ ἅλις ὅττι γυναῖκας ⟨*E* 349⟩
◡ ◡ : –	ῥέα μὲν γὰρ βριάει ⟨Hes. op. 5⟩, Ἕκτορος ἀμφὶ νέκυϊ ⟨*Ω* 108⟩
◡ – : –	ὑμέων οἵπερ ἔασι ⟨*H* 159⟩
– ◡ : –	δαέρων ἢ γαλόων ⟨*Ω* 769⟩

⏑ ⏑ : ⏑ — *ἀστέρι ὀπωρινῷ* (*E* 5), *χαῖρε δὲ τῷ ὄρνιθι Ὀδυσεὺς ἠρᾶτο δ' Ἀθήνῃ* (*K* 277)

⏑ ⏓ : ⏑ — *χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ* (*Α* 15 = 374), *δενδρέῳ ἐφεζόμενοι* (*Γ* 152)

⏑ ⏑ : ⏓ — *τρέε δ' Ἀΐδης ἐνέροισιν* (Hes. Th. 850)

⏑ et *θέσει μακρά*: – — *Δευκαλίων δέ μ' ἔτικτε πολέεσσ' ἄνδρεσσι* (*N* 452);

quem ordinem nonnullis generibus omissis mutavit Hephaestio sic:

– – : – — *ἦ οὐχ ἅλις ὅττι γυναῖκας ἀνάλκιδας ἠπεροπεύεις* (*E* 349), *βουκόλ' ἐπεὶ οὔτε κακῷ* (*υ* 227)

⏑ – : – — *πλέων ἐπὶ οἴνοπα πόντον* (*α* 183)

⏑ ⏑ : – — *νέα μέν μοι κατέαξε Ποσειδάων ἐπὶ πόντῳ* (*ι* 283)

⏑ ⏑ : ⏑ — *ἀλλὰ τεὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθον* (Praxilla fragm. 1)

⏑ – : ⏑ — *δενδρέῳ ἐφεζόμενοι ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι* (*Γ* 152), *χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ* (*Α* 15).

Pro tertio Hephaestioneo synizeseos genere ⏑ ⏑ : – habet Choeroboscus (Exeges. pag. 55, 9 sq.) – ⏑ : –. Sequitur

1. Hephaestionis doctrinam integram s e x synizeseos genera praebuisse,
2. Choeroboscum usum esse Hephaestionis codice mutilato, in quo omissum fuerit genus synizeseos ⏑ ⏑ : –,
3. omnes codices Hephaestionis, qui ad nos pervenerunt, lacunam traxisse (omisso synizeseos genere – ⏑ : –) post ⏑ ⏑ : – (quo loco minorem lacunam nunc quoque codices Hephaestionei habent); Hephaestio enim enumerat genera synizeseos eo ordine, quem indicat syllaba synizesi effecta.

Ex utriusque ordine et exemplis novam doctrinam composuit is qui hoc caput 'Scholiorum Hephaestioneorum B' conscripsit, unum tantum versum *Κάστορά θ' ἱππόδαμον καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα* pag. 21, 22 ipse addidit.

In capite *περὶ χωλαινόντων ἐπῶν* 'Scholia Hephaestionea B' cum doctrina Heliodori in Heliae Appendice I cap. 2

servata ad verbum fere consentiunt; quae pag. 22, 31 et pag. 23, 5 sqq. leguntur, scriptor huius capitis ipse addiderit.

Appendix II. *Περὶ τῶν ἐν τοῖς στίχοις παθῶν.*

De doctrina in hac Appendice II prolata conferas infra pag. 31 sqq.

Cum Appendice I hanc Appendicem II non cohaerere et manifestum est et perspexit Studemundus.

Caput II.

ISAACUS MONACHUS *περὶ μέτρων ποιητικῶν.*

Isaaci Monachi Byzantini liber *περὶ μέτρων ποιητικῶν* editus est a Ludovico Bachmann in Anecd. Graec. vol. II pag. 167—196 ex codice Parisino suppl. graec. nr. 543 (quem codicem Bachmannus perperam numero 122 significavit), qui ad saeculum XVIII pertinet teste Henrico Omont 'Inventaire sommaire des manuscrits du Supplément Grec de la Bibliothèque Nationale' (Parisiis 1883) pag. 60.

Continet Isaaci liber doctrinam metricam Byzantinam puerili ordine ac perverso digestam his capitibus:

I. De pedibus
II. De synizesi
III. De metrorum ambitu et catalexi
IV. De tribus ex quattuor metris Byzantina aetate usitatissimis: dactylico, elegiaco, iambico
V. De metris, quibus Byzantino tempore non iam utebantur poetae: trochaico etc.
VI. De Anacreonteo metro sive de quarto ex quattuor metris Byzantina aetate usitatissimis
VII. De *συλλαβῇ κοινῇ*.

Hoc caput *περὶ συλλαβῆς κοινῆς* nobis viam indicat, qua cognoscere possimus, quo tempore liber compositus sit et quomodo scriptor fontibus usus sit.

Nam totum hoc caput ad verbum exscripsit Isaacus ex Maximi Planudis dialogo de grammatica *Παλαίτιμος καὶ Νεόφρων* (ed. Bachmannus in Anecd. Graec. II pag. 1—101)

inde a pag. 19, 17—22, 26; etsi Isaacum non eam ipsam dialogi Planudei formam, quae nobis servata est, expilasse constat. Sane paucis locis Isaacus ita a Planudis verbis discrepat, ut integriorem doctrinam exhibeat quam Planudes, qualem in Bachmanni editione legimus. Sed Planudis librum a permultis lectitatum itaque mox multifariam variatum esse eo probabilius est, quod hic dialogus modo integer modo partes eius in aliis quoque codicibus leguntur: veluti integer dialogus exstat in codice Taurinensi B I 25 (cf. A. Peyron in Orione Sturziano pag. 241), in codice Barocciano 125, in codice Veneto Marciano 486; caput *περὶ κοινῆς συλλαβῆς*, de quo hoc loco agitur, solum exstat in Veneto Marciano classis X cod. 1 s. XV—XVI (quem [Studemundum secuti] G appellabimus), ubi in fol. 138^v med. ante verba *Κοιναῖς συλλαβαῖς, οἱ μὲν τῷ ἡρώῳ γράψαντες* (Bachmann, Anecd. Graec. II pag. 19, 17) haec verba legimus: *τοῦ πλανούδη* et in fol. 140^r med. ante *Βραχείας συλλαβῆς ἡγουμένης* (Bachmann, l. c. pag. 20, 29) haec: *τοῦ αὐτοῦ κυροῦ μαξίμου τοῦ πλανούδη*, ita ut dubitari non possit quin hoc caput a Maximo Planude compositum sit; descripta sunt in hoc codice G verba Planudis usque ad pag. 22, 26 Bachm., nonnullis rebus omissis, de quibus infra agetur; idem caput exstat in codice Vaticano 1406 s. XVI teste Studemundo, qui apographum codicis G Venetiis a. 1883 a se factum benignissime mecum communicavit.

Ea quae apud Isaacum a Planude discrepantia legimus, partim deteriora partim rectiora sunt quam verba Planudea.

Deteriorem lectionem Isaacus praebet his locis:

pag. 193, 20 sq. *εἰ δ' ἡ ἐπαγομένη λέξις ἀπὸ συμφώνου ἄρχεται, μακρὰν ἀεὶ αὐτὴν* [*αὐτὴν ἀεὶ* alii codices Isaaci] *φυλάσσει*,

pro quibus verbis Planudes pag. 19, 27 sqq. haec habet: *εἰ δ' ἡ ἐπαγομένη λέξις ἀπὸ συμφώνου ἄρχεται, τὴν τῆς πρὸ αὐτῆς λέξεως λήγουσαν μακρὰν ἀεὶ φυλάσσει.*

pag. 195, 25 Isaacus post *ἔρριψα* omisit *καὶ σύσσωμος* (Planudes pag. 21, 22).

Aliae discrepantiae (veluti pag. 193, 5 *ἢ σπανίως*, quae

verba Planudes non habet; *οἱ τοίνυν τῷ ἡρῴῳ γράψαντες* pro Planudeo *Ὅμηρος*; pag. 194, 22 versus *Νέστορα δ' οὐκ ἔλαθεν ἰαχὴ πίνοντά περ ἔμπης* pro Planudis *ἐκπέρσαι Πριάμοιο πόλιν, εὖ δ' οἴκαδ' ἱκέσθαι*) ad id, quod Isaaci proprium est, studium obtegendi fontem revocandae sunt. Verba, quae addidit Isaacus paq. 194, 24—33, ad *κανόνα* l. c. v. 28 redeunt; *κανόνας* rhetoricos et grammaticos imprimis scripserant Choeroboscus et Theodosius, cuius scripta Planudes expilavit (cf. Sturzium ad Etym. Magn. pag. 648); Theodosii *κανόνας* nominat Helias Monachus Anecd. Var. I pag. 175.

Rectiorem atque genuinam, ut videtur, Planudis lectionem servavit Isaacus pag. 193, 24 sqq. pro eis, quae in Planude Bachmanniano pag. 19, 32 sqq. librariorum culpa sic depravata leguntur:

Isaacus pag. 193, 24 sqq.	Planudes pag. 19, 32 sqq.
εἴτε ἀπὸ φωνήεντος εἴτε ἀπὸ συμφώνου τὴν ἀρχὴν ἡ ἐπαγομένη ποιεῖται. καὶ φωνήεντος μὲν ἐπαγομένου, οἷον	*εἴτε ἀπὸ φωνήεντος εἴτε* (*ἀπὸ* add. G) *συμφώνου τὴν ἀρχὴν ἡ ἐπαγομένη ποιεῖται. καὶ συμφώνου μὴ* (*μὲν* G) *ἐπαγομένου, φωνήεντος δέ, ὡς τὸ* [pro his quattuor verbis G habet *οἷον*]
πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν (*Α* 3), *συμφώνου δέ, οἷον αὐτοὺς δὲ ἑλώρια* [*δ' ἑλλώρια* alii codices Isaaci] *τεῦχε κύνεσσιν* (*Α* 4).	*πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν* (*Α* 3). (G hic addit verba *φωνήεντος δὲ ἐπαγομένου* et deinceps unum versum scriptura vacuum relinquit).

Ceterum Isaaco dialogum Planudis non integrum praesto fuisse arbitror. Nam in fine totius capitis legimus

apud Planudem pag. 22, 18 sqq.:	apud Isaacum pag. 196, 3 sqq.:
ἔχω καὶ τοῦτο· τί δ' ἦν ἐκεῖνο, ὃ μικρῷ πρόσθεν εἶπας, ἄρχεσθαι τὴν λέξιν ἐκ δύο συμφώνων μὴ τῶν αὐτῶν; Ὅτι ὦ Νεόφρον οὐκ ἔστιν ὅτε λέξις Ἑλληνικὴ ἤτοι ἀπὸ δύο τῶν αὐτῶν συμφώνων ἄρχεται, κ.τ.λ.	*τὸ δὲ ἐκ δύο συμφώνων μὴ τῶν αὐτῶν εἴρηται. ὅτι οὐκ ἔστιν ὅτε λέξις Ἑλληνικὴ ἤτοι ἀπὸ δύο τῶν αὐτῶν συμφώνων ἄρχεται, κ. τ. λ.*

Prorsus eadem verba, quae apud Isaacum, legimus in codice G. Sequitur Isaacum non Planudis ipsius librum compilasse, sed tractatum ex hoc libro excerptum, cuius formam aliquo modo ex codice G cognoscere possumus, qui compluribus locis plura praebet quam Isaacus. In hoc tractatu describendo Isaacus propter ὁμοιοτέλευτον omnia omisit, quae in Planudis dialogo pag. 21, 29—31 leguntur, atque adeo Planudis verba eum non recte intellexisse ex eo elucet, quod post συνάγουσι pag. 21, 34 posuit καὶ pag. 196, 1.

Ex eis quae exposuimus apparet Isaaci libri partem illam, qua περὶ κοινῆς συλλαβῆς agitur, ad Maximi Planudis dialogum de grammatica redire;[1]) et re vera ad genuinum Isaaci librum hanc partem pertinere ex eo manifestum est, quod verbis pag. 187, 23 sq. servatis lector ad hanc partem remittitur.

Maximus Planudes autem vixit s. XIV (cf. Fabricii Bibl. Graec. ed. Harles XI pag. 682 sqq.) Ergo Isaacus Monachus floruit s. XIV parte posteriore; conf. etiam Fabricii Bibl. Graec. ed. Harles IV pag. 155 et XI pag. 126 sqq.[2]) Quocum bene illud convenit, quod codices Isaaci libri περὶ μέτρων ποιητικῶν, qui mihi ex Studemundianis copiis innotuerunt, ad unum omnes admodum recentes sunt neque ullus saeculo XIV antiquior est. Veluti

Codex Parisinus 2758 saeculo XIV scriptus est;

Codex Havniensis 1965 chartaceus formae octavae miscellaneus, qui Isaacum continet pag. 605—626, saeculo XV exeunte scriptus esse dicitur; cfr. Carolum Graux 'Notices sommaires des manuscrits grecs de la Grande Bibliothèque Royale de Copenhague' (Parisiis 1879) pag. 50 sqq.;

Codex Baroccianus 72, de quo conf. Studemundum Anecd. Var. I pag. 104, saeculo XV exeunte scriptus est;

Baroccianus 194 (fol. 105 sqq.), de quo cf. Henrici

---

[1]) Nicolaius 'Griechische Litteraturgeschichte' III pag. 255 non recte iudicavit Isaacum et Planudem in componendo capite περὶ κοινῆς συλλαβῆς eundem compilasse fontem.

[2]) Conf. etiam codicem Athoum, qui indicatus est in Sathae Μεσαιωνικῆς Βιβλιοθήκης vol. I (Venetiis 1872) pag. 278 med.

Coxe Catalogum codicum mss. bibliothecae Bodleianae part. I (Oxonii 1853) pag. 330 sqq., saeculo XV scriptus est;

Baroccianus 68, de quo conf. Coxium l. c. pag. 101 sqq., qui in folio 125 Isaaci libri initium continet, saeculo XV scriptus est;

Codex Laurentianus XXXI 23 (fol. 111 sqq.), de quo conf. Bandinii Catalogum codicum graecorum bibliothecae Laurentianae tom. II (Florentiae 1768) pag. 93 sqq., scriptus est saeculo XV;

Codex Vaticanus 16 (fol. 326 sqq.) scriptus est saeculo XV, conf. Studemundum in annal. philol. a. 1867 pag. 612;

Codex Neapolitanus II C 37 (olim II C 38) (fol. 407^{v} sqq.), de quo codice conf. Salvatorem Cyrillum in catalogo codd. graec. mss. Regiae bibliothecae Borbonicae tom. II (Neapoli 1832) pag. 32 sqq., scriptus est saeculo XV;

Codex Parisinus 2731, saec. XVI;

Parisinus 2759 anno 1539 scriptus est teste Aniceto Melot in Catalogo codicum mss. Bibliothecae Regiae tom. II (Parisiis 1740);

Codex Londinensis (in Museo Britannico) 16 C XX, de quo conferatur Casley in ‘Catalogue of the manuscripts of the King's Library (Londini 1734) pag. 253, saeculo XVI scriptus est;

Codex Vallicellianus F 33 (fol. 169^{r} sqq.) scriptus est saeculo XVI teste Studemundo;

Codex Parisinus suppl. graec. nr. 543 saeculo XVIII scriptus est, cf. supra pag. 17.

Iam ceteras perscrutemur partes libri Isaaci, ut, quomodo compositus sit, penitus cognoscamus.

I. In prima parte (pag. 169—179,26) agitur de pedibus. Quae pag. 169—174,24 de pedibus leguntur, tali diagrammate explicantur, quale exstat in Pseudo-Hephaestionis § 1^{a}. Comparando autem facile intellegitur Isaaci explicationem ex Pseudo-Hephaestione descriptam esse; ea quae in ipso initio et pag. 173, 8—174, 24 a Pseudo-Hephaestionis verbis discrepant, ab Isaaco ipso addita videntur esse. Idem dicen-

dum est de capite περὶ τῆς τῶν ποδῶν ποιότητός τε καὶ κλήσεως, quod ex paullo integriore forma paragraphi 1[b] Pseudo-Hephaestionis sumptum est. Ea quoque, quae de pedibus διὰ παραδείγματος pag. 177,31—179, 26 apud Isaacum legimus, in Pseudo-Hephaestionis § 2 ad verbum fere redeunt, ita ut Isaacus pedes descendentes ante ascendentes posuerit.

Apud Isaacum agitur de pedibus disyllabis, trisyllabis, tetrasyllabis. Pedes pentasyllabi et hexasyllabi omnino rarissime inveniuntur; sed tetrasyllabos quoque non saepe tractatos fuisse ex 'Scholiorum Hephaestioneorum B' capite περὶ ποδῶν discimus (conf. etiam Studemundum in annal. philol. a. 1885 pag. 750 adnot.).

Omnia quae de pedum metricorum nominibus nobis tradita sunt, exceptis scriptoribus metricis Latinis, de quibus conf. Westphalium 'Metrik' I² pag. 203 sqq., ad hos fontes redeunt, quorum nullus ad Hephaestionem ipsum referri potest:

I. ad Anonymum Ambrosianum (Anecd. Var. I pag. 222 sqq.) cum Anecd. Chisian. § 1[a] (Anecd. Var. I pag. 205 sqq.) et ad Anonymum Berolinensem (Anecd. Var. I 'Addenda et Corrigenda').

II. ad Choerobosci Exegesin in Hephaestionis enchiridion pag. 57, 22 sqq.

Doctrina ab Anonymo Ambrosiano et a Choerobosco prolata omnino non cohaerent inter se; sed subsistit consensus plerumque in nominibus et ordine nominum cuiusque pedis metrici propriorum. Ceterum uterque suam ipsius rationem secutus rem tractavit; paucis autem locis, quibus consentiunt, eundem videntur exscripsisse fontem.

III. ad Dionysii qui fertur tractatum de pedibus (Anecd. Var. I pag. 160 sqq.) cum Anecd. Chisian. § 1[b] (Anecd. Var. I pag. 207 sqq.) et Tractatum Harleianum pag. 322, 7 sqq.

Praeter Anonymum Ambrosianum (et Anonymum Berolinensem) omnes metrici Graeci, qui quidem servati sunt, Tzetza antiquiores pedes pentasyllabos et hexasyllabos omiserunt, Dionysius etiam tetrasyllabos.

Omnibus communis est ineptus, quem in pedibus enumerandis sequuntur, ordo, praecipue in trisyllabis, idque eo

magis mirum est, quod fontes I et II in pedum tetrasyllaborum explicatione rectiorem tenent ordinem. Haec res nobis indicat satis antiquam esse doctrinam de qua agitur. Perverso enim, qui in eis quos dixi libris servatus est, pedum trisyllaborum ordine immune est Hephaestionis ench. caput III, in quo hi rectius ordinati sunt; in pedibus tetrasyllabis explicandis Hephaestio minutiis quibusdam exceptis eundem sequitur ordinem quem fontes, quos supra dixi. Perspicuum est Hephaestioni in componendo capite *περὶ ποδῶν* eundem, quem praebet e. g. Anonymus Ambrosianus, ordinem praesto fuisse. Quod autem Anonymus Ambrosianus pedes trisyllabos incomposite, tetrasyllabos recte enumeravit, id ita explicandum est, ut doctrina de pedibus tetrasyllabis a recentiore scriptore huic tractatui addita esse dicatur; ac profecto in pedum tetrasyllaborum enumeratione etymologiae nominum multo brevius absolvuntur quam trisyllaborum; adde quod ab antiquioribus scriptoribus tetrasyllaborum, pentasyllaborum, hexasyllaborum pedum memoria aliena esse solet. Perversus ille pedum trisyllaborum ordo ad vetustum tractatum ducit, cuius forma antiquissima superest in codice Monacensi 310 fol. 1 (et in Leidensi Vossiano quart. 76; conf. Studemundum Anecd. Var. I 'Corrigenda et Addenda'), recentior in Dionysii qui fertur tractatu de pedibus. (Quo cum tractatu iam ante Hephaestionis tempora doctrina de pedibus tetrasyllabis in compendiis metricis coniuncta erat.)

Omisi in his fontibus caput *περὶ ποδῶν* 'Scholiorum Hephaestioneorum B' pag. 27, 19 sqq. H, quippe quod ex variis fontibus conflatum sit nec quicquam novi praebeat. Agitur hoc capite de pedibus disyllabis, trisyllabis, tetrasyllabis. Atque de tetrasyllabis quidem quae pag. 29, 4 sqq. legimus, ea fere omnia redeunt in Choerobosci Exegesi pag. 61, 4 sqq., pleraque ad verbum cum Choerobosco consentiunt, nonnulla leviter discrepant. Verba in initio huius explicationis posita: *τῶν δὲ τετρασυλλάβων μνείαν οἱ σχολιογράφοι οὐκ ἐποιήσαντο* ex alio fonte hausta sunt: scilicet ex Pseudo-Dionysii tractatu de pedibus (pag. 162 ed. Studemund):

ἰστέον ὅτι τῶν τετρασυλλάβων μνείαν οἱ σχολιογράφοι ἑρμηνείας οὐκ ἐποίησαν. Atque ex eodem Pseudo-Dionysii tractatu permulta eorum, quae de pedibus disyllabis et trisyllabis dicuntur. hausta sunt; ea, quae non ex hoc fonte fluxerunt. ex Choerobosci Exegesi pag. 57, 23 sqq. derivata sunt. Excipienda est doctrina de dactylo, quam ex Anonymo Ambrosiano excerptam isdem fere verbis legimus in Anecd. Chisian. § 1ª: nonnulla in Anecd. Chisian. omissa praebent 'Scholia Hephaestionea B' cum Anonymo Ambrosiano congruentia. Nec tamen ex Anonymo Ambrosiano profluxit haec de pedibus disyllabis et trisyllabis doctrina in 'Scholia Hephaestionea B', siquidem dactyli explicatio ad verbum fere in Anecd. Chisian. § 1ª redit; sed ne Anecdota Chisiana quidem auctor huius capitis descripsit, cum 'Scholia Hephaestionea B' nonnulla praebeant, quae in Anecd. Chisian. omissa in Anonymo Ambrosiano legimus. Itaque maxime probabile est doctrinam illam de pedibus disyllabis et trisyllabis. quae inest in 'Scholiis Hephaestioneis B', ex tractatu aliquo de his pedibus metricis paullo integriore, quam Anonymus Ambrosianus est, simili modo atque Anecd. Chisian. § 1ª. sed copiosius excerptam esse. Ex hoc fonte omnia illa originem ducunt, quae in Pseudo-Dionysii tractatu *περὶ ποδῶν* desunt.

Sequitur scriptorem capitis *περὶ ποδῶν* 'Scholiorum Hephaestioneorum B' hos fontes compilasse:

I. tractatum de pedibus disyllabis et trisyllabis : Dionysii qui fertur tractatum *περὶ ποδῶν*,

II. tractatum de pedibus disyllabis et trisyllabis. ex Anonymo Ambrosiano integriore simili modo atque Anecd. Chisian. § 1ª, sed copiosius excerptum,

III. Choerobosci Exegesin in Hephaestionis enchiridion.

Ex III elucet hanc doctrinam in 'Scholiis Hephaestioneis B' servatam non ante s. VI p. C. conflatam esse.

Isaaci Monachi vel potius Pseudo-Hephaestionis explicatio *περὶ ποδῶν* ad nullum eorum, quos pag. 22 enumeravi, fontium revocari potest, cum longe diversae nominum etymologiae insint; ergo quartus fons doctrinae metricae de pedum nominibus repraesentatur Pseudo-He-

phaestionis paragrapho 1[b]. Utrum Isaacus praeterea alium tractatum ('Scholia Heph. B') inspexerit necne, diiudicare non possum.

II. *περὶ συνιζήσεως*, pag. 179, 27 sqq.

Apud plerosque scriptores de re metrica Byzantinos agitur de synizesi, veluti in Heliae Monachi Appendice I (secundum Heliodoream doctrinam, cf. supra pag. 14 sqq.); in 'Scholiis Hephaestioneis B' pag. 21, 14 sqq.; in Pseudo-Hephaestionis §§ 4[a], 12, 31[a]; in codice Ambrosiano C 222 ord. inf. fol. 18 (cf. Anecd. Var. I pag. 244 nr. 8[a] et 8[b]); in codice Ambrosiano M 51 ord. sup. fol. 398[v] sq. (cf. Anecd. Var. I pag. 240 sq.); in codice Veneto Marciano 483 fol. 153[v] (cf. Anecd. Var. I pag. 191); in Tractatu Harleiano pag. 320, 12 sqq.; apud Pseudo-Draconem pag. 145, 16 sqq.

Isaacus ea, quae *περὶ συνιζήσεως* praecipit, sumpsit ex tractatu, quo versus explanatorii ex Hephaestionis enchiridio (cap. II) et 'Scholiis Hephaestioneis A' citati continebantur. Genuina illius tractatus forma vix restitui potest; tamen vestigia antiquissimae formae ex scriptis metricis Byzantinis colligere licet. Proxime igitur ad Isaaci verba et ordinem in enumerandis synizeseos generibus accedit Pseudo-Hephaestionis § 12:

I. *συνίζησις ἐστὶ δύο συλλαβῶν εἰς μίαν συλλαβὴν ἕνωσις μηδενὸς συμφώνου ἀναμεταξὺ αὐτῶν παρεμπίπτοντος. συνίζησις δὲ γίνεται κατὰ τρόπους ἕξ·*

1. *ἢ γὰρ τὰ δύο μακρὰ εἰς ἓν μακρὸν συνιζάνεις, ὡς τὸ*
   ἢ οὐχ ἅλις ὅττι γυναῖκας ⟨*E* 349⟩
2. *ἢ τὰ δύο βραχέα ἀνθ' ἑνὸς μακροῦ παραλαμβάνεται, ὡς τὸ*
   πλέον (sic) *ἐπὶ οἴνοπα πόντον* ⟨*α* 183⟩
3. *ἢ τὸ μακρὸν καὶ βραχὺ εἰς ἓν μακρόν, ὡς τὸ*
   ληϊάδεω Ἀχιλῆος ⟨*A* 1⟩
4. *ἢ τὸ βραχὺ καὶ μακρὸν εἰς βραχύ, ὡς τὸ*
   δενδρέῳ ἐφεζόμενοι ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι ⟨*Γ* 152⟩·
   τὸ γὰρ δρέω βραχὺ ὂν καὶ μακρὸν ἀνθ' ἑνὸς βραχέος παραλαμβάνεται. ἢ οὕτως μετρήσεις καὶ δέξῃ· τὸ δεν μακρόν, τὸ δρε βραχύ, τὸ ῳ καὶ ε ἀνθ' ἑνὸς βραχέος.

II. 5. ἢ δύο βραχεῖαι εἰς μίαν βραχεῖαν, ὡς ἐν τῷ
ἀλλὰ τεὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθον
⟨Praxilla fragm. 1⟩
6. ἢ δύο βραχεῖαι εἰς μίαν μακράν, ὡς τὸ
νέα μέν μοι κατέαξε Ποσειδάων ἐνοσίχθων ⟨ι 283⟩.
7. ἔστι δ' ὅπου καὶ κοινὴ καὶ βραχεῖα ἀντὶ βραχείας καὶ κοινῆς παραλαμβάνεται, ὡς ἐν τῷ
δενδρέῳ ἐφεζόμενοι ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι ⟨Γ 152⟩.
Διαφέρει δὲ συνίζησις συναλοιφῆς, ὅτι ἡ μὲν συναλοιφὴ κατὰ συναίρεσιν γίνεται, ἡ δὲ συνίζησις λέγεται μὲν ἐντελῶς, κατὰ κρᾶσιν δὲ λαμβάνεται. Γίνεται δὲ συνίζησις, ὡς εἴρηται, φωνήεντος ἐπιφερομένου, οὐκέτι δὲ συμφώνου.

Haec paragraphus ex duobus tractatibus consuta est. In ea enim parte, quam numero I significavi, ad explicandam syllabarum quantitatem neutra *μακρόν* et *βραχύ* adhibita sunt, in parte II autem feminina *μακρά* et *βραχεῖα*. Accedit quod, si ex eodem fonte ab eodem scriptore descriptae essent pars I et pars II, non bis idem genus synizeseos (◡ ◡ : _) tractatum neque bis idem versus Homericus *δενδρέῳ ἐφεζόμενοι κ. τ. λ.* ad diversa synizeseos genera illustranda citatus esset.

Pars I exstat tanquam integer tractatus in codice Veneto Marciano 483 fol. 153ᵛ sq. (Anecd. Var. I pag. 191 § 5[c]). Fluxit hic tractatus ex Hephaestionis enchiridio ipso, sed is qui eum conscripsit, tanta usus est neglegentia, ut ad synizeseos genus ◡ ◡ : _ illustrandum exemplum afferret, quo Hephaestio usus erat ad explicandum genus ◡ _ : _, quamobrem pro Hephaestioneo *πλέων ἐπὶ οἴνοπα πόντον* scripsit falso: *π λ έ ο ν ἐπὶ οἴνοπα πόντον* (sic etiam cod. Ven. Marc. 483!); tractatum huic similem, qui rectiorem lectionem *πλέων* exhibet, legas in Crameri Anecd. Oxon. IV pag. 326, 15 sqq. Omisso synizeseos genere secundo exstat similis tractatus in codice Ambrosiano C 222 ord. inf. fol. 18 (Anecd. Var. I pag. 244 nr. 8[a]), quocum Isaacus arte coniunctus est, quippe qui idem (scil. secundum) synizeseos genus omiserit.

Parte II paragraphi 12 Pseudo-Hephaestionis continetur tractatus, qui alio modo atque pars I ex Hephaestionis enchiridio plerumque ad verbum descriptus erat. Integrum hunc tractatum legimus in cod. Ambr. C 222 ord. inf. fol. 18 (Anecd. Var. I pag. 244 nr. 8[b]) et breviorem eiusdem formam (id est imminuto exemplorum poeticorum numero) in cod. Ambr. M 51 ord. sup. fol. 398[v] sq. (Anecd. Var. I pag. 240, 35 sqq.). Ex hoc tractatu fluxisse videntur Pseudo-Hephaestionis § 31[a] et Tractatus Harleianus pag. 320, 12 sqq.

Ex tractatu, quo eodem modo atque in Pseudo-Hephaestionis § 12 partes I et II coniunctae continebantur, hausit Isaacus Monachus explicationem *περὶ συνιζήσεως*. Nam genera synizeseos, quae Isaacus primo, altero, tertio loco enumerat, in Pseudo-Hephaestionis § 12 parte I, synizesis syllabae brevis cum brevi in longam in § 12 parte II redit. Tamen non eam formam huius paragraphi Pseudo-Hephaestioneae, quae ad nos pervenit, compilasse videtur Isaacus, sed integriorem, cum eodem modo quo Tractatus Harleianus synizesin syllabae brevis et longae in longam apud Pseudo-Hephaestionem § 12 omissam postremo loco enumeret. Pro versu Hesiodeo (Op. 30)

ὤρη γάρ τ᾽ ὀλίγη πέλεται νεικέων τ᾽ ἀγορέων τε,

qui in Tractatu Harleiano servatus est, Isaacus (pag. 180, 22) utitur versu Theocriteo

καρὸν ἔχοισαν ἴσον (Theocr. id. VIII 19)

ad illustrandam synizesin syllabae brevis cum syllaba longa in syllabam longam. In eis autem Theocriti verbis, quae apud Isaacum legimus, synizesis non exstat, nisi forte Isaacum ea legisse opineris, quae nullius codicis Theocriti auctoritate munita scripsit Bachmanni typographus: *καρὸν ἔχοισαν ἴσον*. Mirum id quoque est, quod Isaacus versus Theocritei verba non ab initio descripsit; integer enim versus ille sic incipit: *λευκὸν καρὸν κ. τ. λ.* Verisimillimum est Isaacum hoc exemplum de suo addidisse, praesertim cum in capite *περὶ ἡρωελεγείου*, quod suo arbitrio eum composuisse infra exponam, Theocriti idyllion VIII excitet.

III. Post explanationem *περὶ συνιζήσεως* sequitur in Isaaci libro pag. 180, 28 sqq. simplicissima doctrina de metrorum ambitu et catalexi, quam isdem fere verbis apud neminem nisi Pseudo-Draconem pag. 134, 6 sqq. legimus; Isaacum ipsum eam composuisse, non Draconem infra ostendam.

IV. De metris Byzantina aetate familiarissimis.

Quae de metris Byzantina aetate usitatissimis (iambico, heroico, elegiaco, anacreontio) apud Isaacum Monachum legimus, isdem verbis apud nullum de re metrica scriptorem servata sunt, excepta parte eorum quae de Anacreontio dicta sunt, de qua re conferas infra pag. 38 sq. Ego totam hanc doctrinae formam Isaaco ipsi adcripserim.

1. a. *περὶ τοῦ ἡρωϊκοῦ μέτρου*, pag. 182, 14 sqq.

Post veriloquium nominis *ἡρωϊκόν* Byzantina aetate notissimum agitur de pedibus, quibus in componendis versibus heroicis uti liceat, et de clausula versus heroici ita, ut novi nihil proferatur; eadem verba repetit ex Isaaci libro descripta unus Pseudo-Draco (pag. 142, 18 sqq.).

b. *περὶ διαφορῶν τοῦ αὐτοῦ μέτρου*, pag. 183.

Doctrinam *περὶ διαφορῶν τοῦ ἡρωϊκοῦ μέτρου* apud plurimos de re metrica scriptores Byzantinos legimus; cf. tabulam infra pag. 30 adiectam. Genuina huius doctrinae forma restitui non potest, quia frequenter tractabatur haec materia et quia *εἴδη* et *πάθη* saepius commiscebantur. Ordo autem, quo in fonte, ex quo omnes quos inspexi scriptores metrici pendent, differentiae enumeratae fuerint, aliquo modo recuperari potest. Permulti enim *διαφορὰς* ita enumerant, ut *βουκολικὸν* genus post *Σαπφικόν*, alii ita ut *Σαπφικόν* post *βουκολικόν* ponant. Genus *Σαπφικόν* ante *βουκολικόν* collocandum esse facile intelleges.

Nam *κατενόπλιον*	– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – – – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – –	pertinent ad
περιοδικόν	– ⏑ ⏑ – – – ⏑ ⏑ – – – ⏑ ⏑ – –	schemata
Σαπφικόν	– – – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – –	versus heroici,

βουκολικόν – ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ ◡ | – ◡ ◡ – ◡ ◡ – – } ad caesuras
ὑπόρρυθμον – ◡ ◡ | – ◡ ◡ | – ◡ ◡ | – ◡ ◡ | – ◡ ◡ | – – } versus heroici,
τέλειον agit de partibus orationis,
πολιτικόν de animi affectibus.

Hae septem differentiae apud plerosque scriptores metricos hoc ordine enumeratae occurrunt, nonnulli (aeque atque Isaacus) inepte *Σαπφικόν* post *βουκολικόν* posuerunt. Perpauci octo (sic *κλιμακωτόν* tamquam octavam commemorat Isaacus) aut novem differentias praebent. Quam doctrinam singuli Byzantini scriptores proferant, cognosces ex tabula pag. 30 adiecta.

Eadem verba, quae Isaacus Monachus praebet, legimus in 'Scholiis Hephaestioneis B' pag. 25, 1 sqq. et in Tractatu Harleiano pag. 326, 27—327, 6, ubi (v. 7—13) differentiarum genera *ἡλιοειδές, τὸ καὶ προβάθμιον καὶ κλιμακωτόν*, et *ἐμπερίβολον* addita sunt[1]). Ad integriorem formam tractatus in Harleiano servati redire videtur Isaacus, ad formam mutilatam ipse Tractatus Harleianus et 'Scholia Hephaestionea B'. In utriusque enim explicatione differentiae *βουκολικοῦ* exemplum affertur Homericum hoc:

ἐξ ἐπιδιφριάδος πυμάτης ἱμᾶσι δέδεντο ⟨K 475⟩,

qui versus non concinit cum definitione: *βουκολικόν, τὸ μετὰ τρεῖς πόδας ἀπαρτίζον εἰς μέρος λόγου*, cum *τρίτος πούς* sit *δος πυμά* |. Rectius in Isaaci exemplo

ἀλλ᾽ ἔκ τοι ἐρέω τόδε καὶ τελέεσθαι ὀΐω ⟨A 204⟩

tertius pes constat ex syllabis *ω τόδε* |.

Ex hoc fonte deprompserunt Tractatus Harleianus novem, Isaacus octo, 'Scholia Hephaestionea B' septem differentiarum genera. Cf. tabulam adiectam.

---

[1]) De vetustissima doctrina de *κλιμακωτῷ* et *ἐμπεριβόλῳ* cf. Diomedem in Keilii Gr. L. I pag. 499, 15 sqq., 9 sqq.

Διαφοραὶ τοῦ ἡρωϊκοῦ μέτρου.

Ordo genuinus (cf. supra pag. 28):		κατενόπλιον.	περιοδικόν.	Σαπφικόν.	βουκολικόν.	ὑπόρρυθμον.	τέλειον.	πολιτικόν.	κλιμακωτόν.	ἐμπερίβολον.
Exempla Homerica usitatissima:		Λ 357.	Λ 2.	B 1.	K 475.	Λ 214.	X 59.	Λ 680.	Γ 182.	Λ 3.
enumerant differentiarum genera	ἑπτά.	Pseudo-Plutarchi cap. I[1]) = Pseudo-Hephaestio § 13; Codex Ambrosianus C 222 ord. inf. fol. 81ᵛ (Anecd. Var. I pag. 245); Heliae Monachi cap. II § 4 (interpolatio); Codex Parisinus 1983; Codex Venetus Marcianus 483 § 5ª (Anecd. Var. I pag. 190); Pseudo-Moschopulus pag. 45 sq. *Scholia Hephaestionea B pag. 25; *Pseudo-Hephaestio § 29.	Iidem tractatus.	Iidem tractatus.	Iidem tractatus.	Iidem tractatus.	Iidem tractatus.	Iidem tractatus.	Iidem tractatus.	Iidem tractatus.
	ὀκτώ.	Isaacus Monachus[2]) pag. 183; Anecd. Chisian.[2]) § 16ª *Pseudo-Hephaestio § 5.	Iidem tractatus.	Is. M.: Λ 521.	Is. M.: Λ 204.	Iidem tractatus.	Iidem tractatus.	Iidem tractatus.	Iidem tractatus.	
	ἐννέα.	Pseudo-Draco pag. 139 sq. *Tractatus Harleianus pag. 326 sq.	Iidem tractatus.	Ps.-Dr.: Λ 9.	Ps.-Dr.: Λ 204.	Iidem tractatus.	Iidem tractatus.	Iidem tractatus	Iidem tractatus.	

*) Ii tractatus, qui perversum illum ordinem in enumeratione generum differentiarum, de quo egi pag. 28 sq., sed eadem exempla Homerica, quae ceteri, praebent, asterisco significavi. Exempla ab usitatis discrepantia suis locis adnotavi.

1) In Pseudo-Plutarchi cap. I omissum est *περιοδικόν* et pro versu Λ 357 legitur versus Λ 1, qui postea additus videtur esse.

2) Isaacus Monachus et Anecdota Chisiana octavam *διαφορὰν* appendicis loco nominant.

c. περὶ εἰδῶν τῶν στίχων, pag. 184 sq.

In hac Isaaci explicatione πάθη et εἴδη metri heroici non secernuntur. Isaacus nominat quattuordecim πάθη et εἴδη, sex πάθη et octo εἴδη. Eundem numerum deprehendimus apud Pseudo-Hephaestionem § 28[a]; in Tractatu Harleiano pag. 325, 16 sqq. numerus quidem omissus est, sed quattuordecim εἴδη enumerantur; apud ceteros de re metrica scriptores numerus quattuordecim generum non invenitur. Itaque artiore vinculo Isaacum Monachum, Tractatum Harleianum, Pseudo-Hephaestionem inter se cohaerere certiores fimus. Et cum in eis, quae περὶ συνιζήσεως praecipiuntur, viderimus Isaacum propius ad Pseudo-Hephaestionem quam ad cetera scripta metrica accedere et Tractatum Harleianum ex eodem fonte ex quo Isaacum pendere constet, iam examinandum est, fueritne Pseudo-Hephaestio communis fons, ex quo et Isaacus Monachus et Tractatus Harleianus fluxerint.

Pseudo-Hephaestio qui dicitur continet tractatum mathematicum et metricum (§ 1[a] et 1[b]) aut ab Ioanne Pediasimo saec. XIV aut ab homine aliquo docto eiusdem fere aetatis conscriptum et varios de re metrica tractatus cum eis quas dixi paragraphis omnino non cohaerentes. Haec congeries diversis recensionibus, longioribus et brevioribus, tradita est. Longior recensio continet modo 45 modo 44 paragraphos, decurtata forma exstat e. g. in codicibus, quos enumeravit Henricus zur Jacobsmuehlen ('Pseudo-Hephaestion de metris' pag. 10 sqq.). Longioris illius recensionis congeries metrici argumenti in quinque libros discedit sive in quinque compendia artis metricae Byzantinae.

Consentiunt inter se Pseudo-Hephaestio et Tractatus Harleianus in his paragraphis:

Pseudo-Hephaestio § 28[a] = Tractatus Harleianus pag. 325, 16—326, 21; § 28[b] = pag. 326, 22—25; § 29 = pag. 326, 27—327, 6; § 31[a] = pag. 320, 12—321, 7: § 40 = pag. 323, 1—26; § 43[a] fere = pag. 323, 33—324, 30; de § 45 = pag. 318, 7—27 hoc loco non agetur, cum § 45 non in omnibus Pseudo-Hephaestionis codicibus servata sit.

Ut planius, uter ex altero hauserit, perspiciamus, compa-

remus eas quas dixi paragraphos Pseudo-Hephaestionis cum Tractatu Harleiano:

Pseudo-Hephaestio § 28[a]	Tract. Harl. pag. 325. 21 sqq.
ἀπηρτισμένος ἐστὶν ὁ τὴν πᾶσαν ἔννοιαν περιλαμβάνων ἐν ἑαυτῷ, τῶν ἄλλων στίχων μὴ τῷ ἰδίῳ μέτρῳ περιοριζόντων τὴν ἔννοιαν, ἀλλὰ καὶ ἐπιπλεκομένων τῇ τῆς ἐννοίας περιλήψει κ. τ. λ.	ἀπηρτισμένος. ὁ τὴν πᾶσαν ἔννοιαν περιλαμβάνων ἐν ἑαυτῷ καὶ μὴ περιορίζων τὴν τῶν ἄλλων στίχων ἔννοιαν ἐν τῷ ἰδίῳ μέτρῳ ἢ ἐπιπλέκων τῇ τῆς ἐννοίας περιλήψει κ. τ. λ.

Ea, quae in Tractatu Harleiano legimus, minus apte composita sunt.

Pseudo-Hephaestio § 31[a]	Tract. Harl. pag. 320. 23 sq.
ἢ μακρᾶς καὶ βραχείας εἰς μίαν μακράν, ὡς τὸ μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηληιάδεω Ἀχιλῆος ⟨*A* 1⟩· τὸ γὰρ ληι μακρὸν καὶ βραχὺ ἀντὶ ἑνὸς μακροῦ παρείληπται.	ἢ μακρᾶς καὶ βραχείας ἀντὶ μιᾶς μακρᾶς, ὡς τὸ μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηληιάδεω Ἀχιλῆος ⟨*A* 1⟩
ἢ βραχείας καὶ μακρᾶς ἀντὶ μιᾶς μακρᾶς, ὡς τὸ ὑμῖν δὲ (sic) θεοὶ δοῖεν Ὀλύμπια δώματ᾽ ἔχοντες ⟨*A* 18⟩ καὶ παρὰ τῷ Ἡσιόδῳ ὤρη γάρ τ᾽ ὀλίγη πέλεται νεικέων τ᾽ ἀγορέων τε ⟨Hesiod. Op. 30⟩.	ἢ βραχείας καὶ μακρᾶς ἀντὶ μιᾶς μακρᾶς, ὡς τὸ ὤρη γάρ τ᾽ ὀλίγη πέλεται νεικέων τ᾽ ἀγορέων τε ⟨Hesiod. Op. 30⟩.

In Tractatu Harleiano decurtatam doctrinam proferri apparet.

Idem statuendum est de Tract. Harl. pag. 323. 12 sqq. = Pseudo-Hephaest. § 40: deest in Tractatu Harleiano inter verba ἴαμβον ἢ πυρρίχιον pag. 323. 14 et verba τὸ οὖν παλαιὸν ἰαμβικὸν l. c. vers. 15 optima explicatio de pedibus trisyllabis in ἰαμβικῷ κωμικῷ et τραγικῷ positis.

Cum iam ex eis, quae in comparationem vocavi, eluceat Tractatum Harleianum artissime cum Ps.-Hephaestionis §§ 28[a]—43, i. e. cum Ps.-Hephaestionis libro V conexum esse, mani-

festum fit etiam ex aliis rebus Tractatum Harleianum et Ps.-Hephaestionis librum illum pendere ex compendio aliquo de re metrica ex Hephaestione excerpto, idque compendium copiosius a Triclinio, Tractatus Harleiani auctore, quam a Ps.-Hephaestione compilatum esse.

Ex hoc compendio de re metrica Pseudo-Hephaestio § 28 et Tractatus Harleianus et Isaacus Monachus quattuordecim *εἴδη* sumpserunt. Quomodo hic numerus ortus sit, iam exponam. Optima doctrinae *περὶ εἰδῶν τοῦ ἡρωϊκοῦ μέτρου* forma servata est apud Pseudo-Herodianum qui dicitur (in Anecd. Var. I pag. 186 sqq.), cf. Studemundum in annal. philol. 1867 pag. 619 sqq. In hoc tractatu enumerantur duodecim *εἴδη*, quae in quattuor classes dividi posse intellexit Studemundus Anecd. Var. I pag. 185 sq. Prima classis continet vetustissima *πάθη κατ᾽ ἔνδειαν* [num. 3. 4. 5 apud Pseudo-Herodianum] (cf. Athenaeum XIV pag. 632[e]), secunda classis *εἴδη* cacophoniae [num. 6. 7. 8], tertia classis *εἴδη* grammatica et rhetorica [num. 1. 2. 9], quarta classis *πάθη κατὰ πλεονασμόν* [num. 10. 11. 12]. Vetere autem errore factum est, ut *εἴδη ἰσόχρονον* et *ἀπηρτισμένον*, quae ad tertiam classem pertinent, ante primam classem ponerentur itaque in omnibus de re metrica tractatibus non secus atque apud Pseudo-Herodianum haec *εἴδη* primo et secundo loco enumerantur. Nonnulli scriptores metrici non duodecim sed novem *εἴδη* afferunt, classe quarta omissa (cf. e. g. Pseudo-Plutarchi cap. I, Ps.-Hephaestionis § 3), alii sex tantum (cf. e. g. Heliae Monachi Appendix II).

Apud Pseudo-Herodianum is versus, qui secundum *πάθος κατ᾽ ἔνδειαν* repraesentat, quae species ab aliis *σφηκοειδὴς* appellatur, nominatur *λαγαρός* (idem nomen praebet Athenaeus l. c.); secundum *πάθος κατὰ πλεονασμόν*, apud alios *προκοίλιος*, nominatur *σφηκίας*. Alii autem scriptores (veluti Heliodorus in Heliae Monachi Appendicis I cap. 2, Anecd. Var. I pag. 181) usurpant *λαγαρός* pro *προκοίλιος* ad significandum secundum *πάθος κατὰ πλεονασμόν*, cum et *λαγαρός* pro *σφηκοειδής* ponatur et *σφηκίας* pro *προκοίλιος* in usu sit.

In tractatu, ex quo pendent Ps.-Hephaestio § 28[a], Tractatus Harleianus, Isaacus Monachus, coniuncta erat doctrina Pseudo-Herodiani cum altera doctrina, quae hunc falsum nominum sollemnium usum praebebat. Scriptor huius tractatus descripsit ex Pseudo-Herodiano duodecim εἴδη. Sed cum in altero tractatu, quo tanquam fonte utebatur, is versus qui apud Ps.-Herodianum σφηκίας nominatur, προκοίλιος vocatus esset, adscripsit προκοίλιον tanquam tertium decimum εἶδος, quia nesciebat vocabulis σφηκίας et προκοίλιος idem εἶδος significari. Is, qui apud Pseudo-Herodianum erat δολιχοῦρος, in altero fonte erat μακροσκελής; hoc εἶδος adiecit quarto decimo loco adnotans simul vocabulo μακροσκελής significari idem εἶδος quod vocabulo δολιχόουρος.

Isaacus alio ordine genera illa enumerat. Inseruit enim affectiones κατὰ πλεονασμόν affectionibus κατ᾽ ἔνδειαν suo quamque loco; ita relictus est σφηκίας; quem cum artius cum λαγαρῷ conexum esse intellexisset, alio modo nomen σφηκίας explicavit pag. 185, 24—30.

Scriptores metrici, qui novem tantum enumerant εἴδη, non ad eum quem nos habemus Pseudo-Herodianum, sed ad antiquiorem formam Pseudo-Herodiani, quae novem tantum εἴδη continebat, redire videntur; in nostro Ps.-Herodiano quarta classis a recentiore scriptore addita videtur esse, praesertim cum explicatio singulorum εἰδῶν, qualis in ceteris tribus classibus legitur, in quarta classe desit.

Quam communis hic perversus usus nominum sollemnium fuerit, ex tabula a nobis pag. 35—37 adiecta facile intellegitur.

πάθη στίχων.

κατ' ἔνδειαν.

I. ἀκέφαλος.

Pseudo-Herodianus et Heliae Monachi c. II § 5 interpolatio et Pseudo-Plutarchi cap. I (fere = Pseudo-Hephaestionis § 14, fere = tractatus ex cod. Ambros. C 222 ord. inf. editus Anecd. Var. I pag. 246)

Codex Parisinus 1983 fol. 3 editus in annal. philol. 1885 pag. 754 (fere = Ps.-Heph. § 3)

Pseudo-Hephaestionis §§ 3, 11ᵇ, 26, 28ᵃ et Tractatus Harleianus et Isaacus Monachus

Scholia Hephaestionea B, Heliae Monachi appendix I

Anonymus Ambrosianus (in Anecd. Var. I pag. 214), Heliae Monachi appendix II

Pseudo-Moschopulus

Codex Ven. Marc. 483 K § 5ᵇ (in Anecd. Var. I pag. 190)

Pseudo-Plutarchi cap. II = Pseudo-Hephaestio § 17.[1])

κατὰ πλεονασμόν.

I. προκέφαλος.

Hoc nomen afferunt omnes, quos sub voce ἀκέφαλος enumeravi, tractatus, exceptis Pseudo-Hephaestionis §§ 11ᵇ et 26, quibus locis μακροκέφαλος nomen usurpatum est.

[1]) Pseudo-Draconem omisi, cum totus liber, qui Draconis nomen prae se fert, ex aliis fontibus, quos infra enumerabo, descriptus sit; cf. Cap. III.

II. *σφηκοειδής*:
Heliae Monachi appendix I.
σφηκώδης:
Anonymus Ambrosianus (in Anecd. Var. I pag. 214).
λαγαρός:
Pseudo-Herodianus et Ps.-Plutarchi cap. I (fere = Ps.-Hephaestionis § 14), Heliae Monachi app. II, Ps.-Moschopulus, Codex Ven. Marc. 483 K § 5[b] (Anecd. Var. I pag. 191)
Ps.-Hephaestionis §§ 3, 11[b], 26, 28[a] et
Tractatus Harleianus et Isaacus Monachus.
λαγαρὸς ἢ σφηκοειδής:
Scholia Hephaestionea B.
μεσόκλαστος:
Ps.-Plutarchi cap. II = Ps.-Hephaestio § 17.
λαγαρὸς ἢ μεσόκλαστος:
Heliae Monachi c. II § 5 interpolatio.

III. *μείουρος*:
Hoc nomen praebent omnes quos enumeravi tractatus.

II. *προκοίλιος*.
σφηκίας:
Pseudo-Herodianus
Pseudo-Hephaestionis § 28[a] et Tractatus Harleianus et Isaacus Monachus.
λαγαρός:
Heliae Monachi app. I
Anonymus Ambrosianus (in Anecd. Var. I pag. 213).
λαγαρὸς καὶ σφηκίας:
Ps.-Hephaestionis § 28[b].
προκοίλιος:
Ps.-Hephaestionis §§ 11[b] et 11[c]
Heliae Monachi app. II
Ps.-Moschopulus
Codex Ven. Marc. 483 K § 5[b] (Anecd. Var. I pag. 190)
Tractatus Harleianus.

III. *δολιχόουρος* (*δολιχοῦρος*):
Hoc nomen habent fere omnes, quos enumeravi, tractatus, exceptis
Ps.-Hephaestionis §§ 11[b], 26, 28[b]
Heliae Monachi app. II

Pseudo-Moschopulo, apud quos legimus *μακροσκελής*, Ps.-Hephaestionis § 28 b et Isaaco Monacho, qui utuntur nominibus *δολιχόουρος ἢ μακροσκελής*.

In ceterorum nominum usu omnes, quantum perspexi, tractatus consentiunt.

d. *περὶ τομῶν τοῦ αὐτοῦ μέτρου*, pag. 186, 1 sqq.

Quae ab Isaaco de hexametri caesuris traduntur, artius quam cum ceteris scriptis metricis cum Ps.-Hephaestionis § 10 (fere = Tractatus de caesuris Anecd. Var. I pag. 159 § 2) cohaerent, i. e. cum compendio doctrinae metricae, quod eum aliis quoque locis compilasse demonstravi. Totam de caesuris doctrinam accuratius tractavi in Appendice huic commentationi addita.

2. *περὶ ἐλεγείου* et *περὶ τοῦ ἡρωελεγείου μέτρου*, pag. 186, 22 sqq.

De elegiaco metro et de heroelegio apud plerosque scriptores metricos Byzantinos agitur; cf. quae adnotavit Henricus zur Jacobsmuehlen ad Pseudo-Hephaestionis §§ 7 b et 23. Isdem verbis hanc doctrinam profert unus Pseudo-Draco pag. 161, 20 sqq., quem ex Isaaci libro sua sumpsisse infra apparebit. Probiorem autem lectionem praebet Pseudo-Draco, ex integriore scilicet Isaaci codice depromptam, quam ex quo Bachmannus Isaacum publici iuris fecit: pro Isaaci (pag. 186, 26) verbis: *σύγκειται δὲ ἐκ δύο δακτυλικῶν ποδῶν ἢ σπονδείων δύο κ. τ. λ.* Pseudo-Draco (pag. 162, 3 sqq.) rectius praecipit haec: *σύγκειται δὲ ἐκ δύο δακτυλικῶν πενθημιμερῶν ἤγουν δύο ποδῶν δακτύλων ἢ σπονδείων κ. τ. λ.* eaque ipsa verba exstare in Isaaci codicibus Vallicelliano F 33 et Neapolitano II C 37 docuit me Studemundus.

3. *περὶ τοῦ ἰαμβικοῦ.*

a. *περὶ τοῦ ἁπλουστέρου ἰαμβικοῦ*, pag. 187, 8 sqq.

Praemissa fabula de origine nominis ἰαμβικόν Byzantina aetate notissima absolvitur doctrina de iambico metro Byzantinis familiarissimo: proxime ad Isaaci verba accedit nullus eorum qui mihi praesto sunt tractatuum metricorum, nisi quod omnia redeunt apud Pseudo-Draconem pag. 162, 9 sqq. Idem dicendum est de tractatu

b. περὶ τοῦ ποικιλωτέρου ἰαμβικοῦ, pag. 188, 1 sqq.

Metri iambici ποικιλωτέρου, quo veteres usi erant poetae, interpretatio ex veteribus scilicet fontibus derivata est; pleraque eorum, quae apud Isaacum legimus, ex Hephaestionis enchiridio et 'Scholiis Hephaestioneis A' ab Isaaco ipso ut videtur conscripta sunt.

4. Omnia quae deinceps (pag. 188, 22—193, 2) sequuntur, quibus explicantur ea quae tum non frequentabantur metra, ex initiis singulorum capitum enchiridii Hephaestionei excerpta esse demonstravit Carolus Lehrs (Herodiani scripta tria etc. pag. 415). Eadem verba versibus explanatoriis, quos Hephaestio praebet, additis legimus in Tractatu Harleiano pag. 327, 14 sqq.; apud ceteros metricos haec materia non occurrit nisi apud Pseudo-Draconem pag. 164, 19 sqq. Haec pars libri Isaaci originem ducere videtur ex compendio artis metricae, quod ab Isaaco exemplis omissis, in Tractatu Harleiano exemplis additis descriptum est; vestigia talis compendii ex Hephaestione ipso excerpti servata sunt in Pseudo-Hephaestionis § 12 et § 31[a]. Ea, quae modo exposui, valent de omnibus, quae usque ad pag. 191, 24 (περὶ τροχαϊκοῦ etc.) dicta sunt.

5. περὶ τοῦ Ἀνακρεοντείου, pag. 191, 25 sqq.

In hoc capite duae partes facile dignoscuntur. Quarum prior (pag. 191, 25 usque ad pag. 192, 18) apud nullum eorum qui mihi innotuerunt scriptorum de re metrica Byzantinorum redit; in parte posteriore (pag. 192, 19—36) omnia ad verbum consentiunt cum 'Scholiis Hephaestioneis B' pag. 21, 1—14; verba pag. 192, 36—193, 2 tradita apud ceteros scriptores non exstant. Ex Isaaco descripsit totum hoc caput Pseudo-Draco (pag. 167, 11 sqq.).

Posterior pars huius capitis non in omnibus libri Issaci codicibus exstat; conferas codicem Havniensem 1965 et Vallicellianum F 33 et Neapolitanum II C 37, quorum apographa Studemundiana inspexi, ubi omnia a pag. 192, 19 usque ad 192, 36 sine lacunae indicio desunt. Quapropter veri non est dissimile hanc partem non ab Isaaco ipso, sed ab alio scriptore huic tractatui additam esse et Isaacum ea, quae de quattuor metris Byzantina aetate familiarissimis docet, suo arbitrio composuisse (cf. supra pag. 28).

V. *περὶ κοινῆς συλλαβῆς*, conf. supra pag. 17 sqq.

Sequitur ex eis quae demonstravi:

1. Isaacum Monachum in componendo libro *περὶ μέτρων ποιητικῶν* his fontibus usum esse:
   a. Pseudo-Hephaestionis § 1[a] et § 1[b],
   b. Compendiis doctrinae metricae, qualia nobis servata sunt in Pseudo-Hephaestionis libris I (§§ 2—12) et V (§§ 28—43),
   c. Compendio rei metricae continente doctrinam de novem metris *πρωτοτύποις*, ex Hephaestionis enchiridio excerptam,
   d. Maximi Planudis dialogo grammatico '*Παλαίτιμος καὶ Νεόφρων*'.

Ea, quae non in his fontibus exstant, ab Isaaco ipso composita esse censeo.

2. Isaacum Monachum floruisse s. XIV parte posteriore.

Caput III.

PSEUDO-DRACO *περὶ μέτρων ποιητικῶν*.

Liber de re metrica, qui Draconis Stratonicensis nomen prae se fert, servatus est in uno codice Parisino 2675 olim Colbertino, antea Memmiano, s. XVI eadem manu scripto qua Pseudo-Philemonis lexicon exaratum est (cf. Pulchium in Hermae vol. XVII pag. 183 sq.). De codicis scriptura conferas Hasium in 'Notices et Extraits des manuscrits de la

bibliothèque impériale" VIII 2 (1810) pag. 33 sq.: „l'écriture est grande, et offre à-peu-près le caractère du XVIe siècle; elle ressemble à celle d'Ange Vergèce, sans cependant être aussi belle." De tegumento codicis conf. Pulchium l. c. pag. 180 sq.

Priorem operis partem publicavit Hasius l. c. pag. 43—75, integrum librum publici iuris fecit Godofredus Hermann (Lipsiae 1812). Hermannus iam perspexerat librum istum fere totum ex aliorum scriptorum libris excerptum esse; accuratius pertractavit Lehrsius (Herodiani scripta tria etc. pag. 402 sqq.) priorem libri partem *περὶ διχρόνων* et addidit magnam partem eorum, quae in altera parte *περὶ μέτρων* legantur, isdem verbis contineri Isaaci Monachi, quem modo tractavi, libro *περὶ μέτρων ποιητικῶν*.

Continet autem altera pars libri a Pseudo-Dracone conscripti haec:

1. De metro
2. *πόσα παρέπεται τῷ μέτρῳ*
3. *περὶ ποδῶν*
4. *περὶ στίχων*
5. *περὶ διαιρέσεως στίχων*
6. *πόσα παρέπεται τῷ στίχῳ*
7. *περὶ ἡρωϊκοῦ*
8. *περὶ κοινῆς συλλαβῆς τεχνολογικῶς*
9. *περὶ παθῶν τῶν λέξεων*
10. *περὶ ἡρωελεγείου, ἐλεγείου, ἰαμβικοῦ κ. τ. λ.*

Certum ordinem in hac materiae distributione inesse nemo est quin intellegat. Attamen haec distributio sola ad Draconem qui dicitur referenda est, cum materia, quae in Draconis libro legitur, omnis isdem fere verbis apud alios de re metrica scriptores redeat. Incipiamus ab eis partibus, quae cum Isaaci Monachi libro consentiunt:

pag. 126, 5 sqq. = Isaacus Monachus	pag. 186, 1 sqq.
127, 15—131, 8	174, 27—177, 30
133, 4—17	170, 13—28
134, 5 (vel potius 134, 18)—136, 3	180, 28 (vel potius 181, 2)—182, 14

pag. 139, 3—142, 14 = Isaacus Monachus pag.	185, 5—9; 183, 1—184, 12; 184, 30—33; 185, 10—30
142, 18—143, 16	182, 15—32
146, 8—147, 4	180, 1—27
161, 20—168, 15	186, 22—192, 36.

Ex his quae utrique communes sunt partibus selectas tantum particulas accuratius tractabo, unde perspicuum fiat non ex communi fonte Draconem et Isaacum sua hausisse neque Draconis librum ab Isaaco exscriptum esse, sed potius hunc a Dracone:

Ps.-Draco pag. 133, 11 sq.	Isaacus Monachus pag. 170, 21 sq.
ἄρχονται δὲ ἀπὸ δισυλλαβίας οἱ πόδες, ἢ ὅτι οὐδενὶ ποδὶ δέδωκεν ἡ φύσις χρῆσθαι	*ἄρχονται δὲ ἀπὸ δισυλλαβίας οἱ πόδες, ἢ ὅτι οὐδενὶ τῶν ζώων ἑνὶ ποδὶ χρῆσθαι δέδωκεν ἡ φύσις.*

Ea quae apud Draconem legimus insana esse in propatulo est. Isaacus sua sumpsit ex Pseudo-Hephaestionis § 1ª pag. 23 ed. zur Jacobsmuehlen (cf. supra pag. 21 sq.): *οὐχ εὕρηται ζῶον ἕνα κεκτημένον πόδα.* Draconem ipsum quoque ex Ps.-Hephaestionis § 1ª hausisse probabile non est, cum ceteroqui ad verbum consentiat cum Isaaco, qui Ps.-Hephaestionem non ad verbum exscripsit sed excerpsit; nec magis Isaacus Draconis librum expilavit; quod si fecisset, verba *τῶν ζώων ἑνὶ* praebere non posset. Relinquitur Isaaci librum a Dracone neglegenter exscriptum esse.

Non aliter iudicandum est de eis, quae *περὶ διαφορῶν* et *περὶ εἰδῶν* hexametri pag. 139 sqq. explicantur. Hanc materiam Draco ita ex Isaaci libro hausit, ut eum cum altero fonte confunderet, quem infra saepius compilatum inveniemus: scilicet cum compendio de re metrica, quale praesto est in Pseudo-Hephaestionis qui dicitur libris I et II. Ex tali igitur libro descripsit ea, quae de versuum affectionibus legimus (cf. infra pag. 47 sq.), itaque in describendo Isaaci libro omissis eis *εἴδεσι*, quae *πάθη* vocabantur, ea quae relinquebantur octo *εἴδη* in suum librum transtulit.

Ps.-Draco pag. 146, 21 sqq.	Isaacus Monachus pag. 180, 19 sqq.
ὡς παρὰ Θεοκρίτῳ καρὸν ἔχοισαν ἴσον ⟨Theocr. id. VIII 19⟩· σπανίως δὲ τοῦτο εὕρηται καὶ φανερὸν ὅτι ἡ τῶν δύο συλλαβῶν εἰς μίαν συνίζησις εἰς τὸν χρόνον τῆς πρώτης συλλαβῆς συνιζάνεται. δύο βραχεῖαι ἀντὶ μιᾶς λογιζόμεναι οὐ συνίζησιν πάσχουσιν, ἀλλὰ κατὰ διάλυσιν τοῦ μακροῦ χρόνου εἰς δύο βραχεῖς.	ὡς παρὰ τῷ Θεοκρίτῳ καρὸν ἔχοισαν ἴσον ⟨Theocr. id. VIII 19⟩· σπανίως δὲ τοῦτο εὕρηται καὶ φανερὸν ὅτι ἡ τῶν δύο συλλαβῶν εἰς μίαν συνίζησις εἰς τὸν χρόνον τῆς πρώτης συλλαβῆς συνιζάνεται. δύο δὲ βραχεῖαι ἀντὶ μιᾶς μακρᾶς λογιζόμεναι οὐ συνίζησιν πάσχουσιν, ἀλλὰ κατὰ τὴν διάλυσιν τοῦ μακροῦ χρόνου εἰς δύο βραχεῖς, ὡς εἴρηται ἀνωτέρω (pag. 179, 23 sqq.).

Pseudo-Draco omisit verba δὲ et μακρᾶς, quae in hac explicatione praetermitti non possunt. Cur omiserit verba ὡς εἴρηται ἀνωτέρω, patet: nam cum ea, quae Isaacus pag. 179, 24 sq. scripsit: ἢ μακρὸς χρόνος διαλυόμενος εἰς δύο βραχεῖς δύο συλλαβὰς ἐντεῦθεν ποιεῖ, non in suum usum transtulisset, hoc loco scribere non potuit: ὡς εἴρηται ἀνωτέρω. Certior res fit eo, quod eodem ac perverso versu Theocriteo tanquam exemplo utitur, quem Isaacus praebet (cf. supra pag. 27).

Pseudo-Draco pag. 166, 20 sqq.	Isaacus Monachus pag. 191, 6 sqq.
ἐμπίπτουσι δὲ καὶ οἱ μολοττοὶ ἐπὶ τῶν περιττῶν χωρῶν ἐν τοῖς ἀπ' ἐλάσσονος ἰωνικοῖς, ὥσπερ ἐν τοῖς ἀπὸ μείζονος.	ἐμπίπτουσι δὲ καὶ οἱ μολοττοὶ ἐπὶ τῶν περιττῶν χωρῶν ἐν τοῖς ἀπ' ἐλάσσονος ἰωνικοῖς, ὥσπερ ἐν τοῖς ἀπὸ μείζονος ἐπὶ τῶν ἀρτίων.

Doctrina in Pseudo-Draconis libro servata cum Isaaco ad verbum consentit omissis eis, quae recte ex Hephaestionis enchiridio pag. 71, 17 excerpta apud Isaacum legimus: ἐπὶ τῶν ἀρτίων: elucet Isaaci verba non ex Dracone, sed Draconis verba ex Isaaci tractatu fluxisse. Quodsi quis

putet Draconem ipsum Hephaestionis enchiridium compilasse et verba de quibus agitur omisisse, is velim reputet in eis, quae Isaacus de metris Byzantina aetate non familiaribus ex Hephaestionis enchiridio excerpta (cf. supra pag. 38, 4) praebet, nonnulla addita esse, quae neque apud Hephaestionem neque in Tractatu Harleiano (qui ceteroqui cum Isaaco ad verbum congruit) legimus, quae propter id ipsum in communi Isaaci et Tractatus Harleiani fonte non exstitisse verisimillimum sit. Itaque necessario statuendum est Isaacum ipsum ea addidisse, ex Isaaco autem haec additamenta deprompsisse Draconem. Planius rem cognosces ex eis, quae *περὶ τοῦ παιωνικοῦ μέτρου* in Isaaci libro docentur:

Hephaestio pag. 77 sq.	Isaacus pag. 191, 10 sqq.	Ps.-Draco pag. 166, 24 sqq.
τὸ δὲ παιωνικὸν εἴδη μὲν ἔχει τρία, τό τε κρητικὸν καὶ τὸ βακχειακὸν καὶ τὸ παλιμβακχειακόν, ὃ καὶ ἀνεπιτήδειόν ἐστι πρὸς μελοποιΐαν. τὸ δὲ κρητικὸν ἐπιτήδειον. δέχεται δὲ καὶ λύσεις τὰς εἰς τοὺς καλουμένους παίωνας.	*τὸ δὲ παιωνικὸν εἴδη μὲν ἔχει τρία, τό τε κρητικὸν καλούμενον, ὡς ἐκ τοῦ ἀμφιμάκρου τοῦ καὶ κρητικοῦ καλουμένου· τὸ βακχειακόν, ὡς ἐκ τοῦ βακχείου· τὸ παλιμβακχειακόν, ὡς ἐκ τοῦ παλιμβακχείου, ὃ καὶ ἀνεπιτήδειόν ἐστι πρὸς μελῳδίαν. τὸ δὲ κρητικὸν ἐπιτήδειον. δέχεται δὲ καὶ λύσεις τὰς εἰς τοὺς καλουμένους παίωνας, τουτέστι μιᾶς τῶν ἐν τοιούτοις τρισὶ ποσὶν εἰς δύο βραχείας διαλυομένης.*	*τὸ δὲ παιωνικὸν εἴδη μὲν ἔχει τρία, τό τε κρητικὸν καλούμενον, ὡς ἐκ τοῦ ἀμφιμάκρου τοῦ καὶ κρητικοῦ καλουμένου· καὶ τὸ παλιμβακχειακόν, καὶ τὸ βακχειακόν, ὡς ἐκ τοῦ βακχείου, ὃ καὶ ἀνεπιτήδειον. δέχεται δὲ καὶ λύσεις τὰς εἰς τοὺς καλουμένους παίωνας, τουτέστι μιᾶς τῶν ἐν τοῖς τοιούτοις τρισὶ ποσὶν εἰς δύο βραχείας διαλυομένης.*

Pseudo-Draco igitur ad verbum cum Isaaco consentit excepto eo, quod παλιμβακχειακόν ante βακχειακόν posuit, et ea quae Isaacus ad παλιμβακχειακόν adscripserat omisit; praeterea homoeoteleuto deceptus ea, quae in Isaaci libro inter ἀνεπιτήδειον et ἐπιτήδειον leguntur, praetermisit. Itaque non Isaacus ex Dracone hausit, sed Draco Isaaci libro usus est, quoniam isdem additamentis Hephaestionis verba instruxit quibus Isaacus.

Cum ex eis, quae demonstravi, eluceat Isaaci librum a Ps.-Dracone exscriptum esse, mirum est, quod nonnullis locis Ps.-Draco ita ab Isaaco discrepat, ut meliorem praebeat doctrinam. Si regressus eris ab eis discrepantiis, quae minimi sunt momenti (veluti Draco pag. 130, 13—18; 131, 9 sqq.; 161, 25 sq. [Isaacus pag. 187, 6 sq.]; 162, 25 [Isaacus pag. 187, 24]), restant, quae maioris momenti sint, haec:

Ps.-Draco pag. 127, 1—13 et 133, 25—134, 4 in Isaaci libro desunt;

128, 1: ἄνθρωπ' ἄπελθε, τὴν σκάφην ἀνατρέπεις pro

Isaaci pag. 175, 9: ἄνθρωπ' ἄπελθε, μὴ τάραττε τὴν σκάφην;

Ps.-Draco pag. 143, 17 sqq. in Isaaci libro desunt;

146, 7—13 alia et plura exempla affert quam Isaacus pag. 180, 5 sqq.

Has discrepantias omnes non ad Pseudo-Draconem ipsum sed ad alios revocandas esse fontes, quibus Ps.-Draco in conflando libro utebatur, iam exponam, eis adiectis, quae praeter particulas quas dixi in Isaaci libro omnino desunt:

Pag. 124, 4—14 et 16—18. Quae in initio partis alterius libri a Pseudo-Dracone conscripti invenimus, ex Longini Prolegomenis in Hephaestionis enchiridion (pag. 2, 16—3, 5; 1, 15—16 ed. Hoerschelmann) vel ex tractatu ad hunc redeunte sumpta esse manifestum est.

Eadem fere verba, quae pag. 124, 16—18 et pag. 125, 2—126, 26 tradita sunt, occurrunt nobis in Tractatu Har-

leiano pag. 318, 7—319, 11; nec tamen ex ipso Tractatu Harleiano haec Draconis doctrina hausta est, cum nonnullis locis ab illo discrepet; cf. e. g. ea quae apud utrumque de syntaxi metri dicuntur. Verisimilius est Draconem haec omnia ex eodem fonte, ex quo Tractatum Harleianum, sumpsisse, id est ex compendio artis metricae, cuius vestigia habemus in Pseudo-Hephaestionis libris primo, secundo, quinto. Postquam Ps.-Draco hunc fontem in tractandis eis, *πόσα παρέπεται τῷ στίχῳ*, compilavit, descripsit pag. 126, 5 sqq. Isaaci explicationem *περὶ τομῶν* et addidit pag. 127, 1—2 ea, quae in Pseudo-Hephaestionis § 15 fine leguntur:

βουκολικὴ δὲ κέκληται (*κέκληται δὲ βουκολική* Ps.-Draco), *παρόσον οἱ τὰ βουκολικὰ ποιήματα γράψαντες* (*γράψαντες ποιήματα* Ps.-Draco) *ταύτῃ κέχρηνται τῇ φωνῇ* (sic codices pro *τῇ τομῇ*; haec duo verba om. Ps.-Draco). Ad hanc caesurae bucolicae etymologiam illustrandam Ps.-Draco (pag. 127, 2—5) ex bucolicorum poetarum carminibus exempla conquisivit, quae neque ad Ps.-Hephaestionis §§ 10 et 15 neque ad Isaaci explicationem de caesura bucolica quadrant.

Verba pag. 127, 8—9 similiter in aliis quoque tractatibus de re metrica leguntur, veluti in codice Vaticano 14 et in codice Ven. Marc. 483 K (cf. Anecd. Var. I pag. 99) necnon in 'Scholiis Hephaestioneis B' pag. 25, 24 sq.

Quae inde a pag. 131, 16 usque ad pag. 132, 27 sequuntur, ad verbum descripta sunt ex 'Scholiis Hephaestioneis B' pag. 26, 21—27, 13 perpaucis mutatis: veluti Ps.-Draco pag. 131, 20 *ἡγοῦμαι δὲ μᾶλλον* pro 'Schol. Heph. B' pag. 26, 23 *ἄλλοι δέ φασι*; Ps.-Draco pag. 131, 23 sq. *ὥσπερ γὰρ οἱ δισύλλαβοι* pro 'Schol. Heph. B' pag. 26, 25 *ὥσπερ γάρ, φασίν, οἱ δισύλλαβοι.*

Unum tamen habet Ps.-Draco, quod in 'Scholiis Hephaestioneis B' non exstat, pag. 132, 28—133, 2: *εὑρήσεις δὲ τῶν εἰκοσιτεσσάρων καὶ ἑκατὸν τὰ ὀνόματα καὶ τὰς διαιρέσεις αὐτῶν ἐπιμελῶς γεγραμμένα ἐν τοῖς διαγράμμασι τοῦ*

Φιλοξένου. Augustus Rossbach (de metricis Graecis disputatio altera, Vratislav. 1858. pag. 14) coniecit haec verba in communi 'Scholiorum Hephaestioneorum B', Anonymi de re metrica Ambrosiani, Ps.-Draconis fonte exstitisse; hunc fontem pro suo quemque arbitrio compilasse. Sed cum in Anonymo Ambrosiano (Anecd. Var. I pag. 232) non verba supra citata sed haec legantur: *πεντασύλλαβοι δὲ πόδες εἰσὶ τριάκοντα δύο, οὓς καὶ Γαληνὸς ἐν τῷ περὶ συνθέσεως τεχνῶν ἐκτίθεται,* probabilius est non ex eodem libro sua exscripsisse Anonymum Ambrosianum et Pseudo-Draconis auctorem. Quod autem et Philoxenus et Galenus dicuntur de pedum pentasyllaborum et hexasyllaborum nominibus egisse, id ita intellegendum esse probabiliter conicit Studemundus Anecd. Var. I pag. 232 et 235, ut Galenus Philoxeno usus esse videatur. In 'Scholiorum Hephaestioneorum B' libro quinto neque Galenum neque Philoxenum olim citatum fuisse credo; sed Pseudo-Draconem illa de Philoxeno verba aliunde arcessivisse, scilicet ex compendio aliquo metrico, quale saepius exscripsit. Qua autem 'Scholiorum Hephaestioneorum B' recensione Ps.-Draco usus sit, aliquo modo definiri potest.

Verba enim, quae apud Ps.-Draconem ex 'Scholiis Hephaestioneis B' descripta legimus, omnino consentiunt cum lectione eorum codicum, ex quibus Gaisfordius et Hoerschelmannus 'Scholia Hephaestionea B' publici iuris fecerunt. Nonnullis tamen locis Ps.-Draco ab omnibus, quantum perspexi, codicibus discrepat: pag. 132, 2 *δισυλλάβους φάσκοντες εἶναι μετὰ τρισυλλάβων ἢ τρισυλλάβους μετὰ τετρασυλλάβων* scripsit male Ps.-Draco pro verbis *ἢ τρισυλλάβους μετὰ τρισυλλάβων* in scholiorum (pag. 26, 29—30) codicibus servatis, falsam archetypi lectionem emendaturus, ut videtur; pag. 131, 19 legimus apud Draconem *τετρασυλλάβου ποδίας,* quam lectionem una editio princeps enchiridii Hephaestionei (Florentiae apud Iuntam 1526) habet; pag. 132, 20 scripsit Ps.-Draco: *οἱ δισύλλαβοι ἐπὶ τοὺς ὀκτὼ τρισυλλάβους λβ′, καὶ πάλιν οἱ ὀκτὼ τρισύλλαβοι τοὺς τέσσαρας κ. τ. λ.,* ubi codices scholiorum (pag. 27, 8—9) classis Y in Hoerschelmanni

editione collati aut non habent *ἐπὶ* post *οἱ δισύλλαβοι* aut omiserunt ea quoque quae deinceps leguntur; eandem quam Pseudo-Draco lectionem praebet una editio princeps enchiridii; conf. etiam Anecd. Var. I pag. 100, 50. Quam ob rem vix dubitari potest, quin Pseudo-Draco exscripserit editionem principem enchiridii Hephaestionei.

Ea quae restant, omnia ex duobus fontibus diversis sumpta sunt. Veluti

pag. 133, 25 sqq.	ex Pseudo-Hephaestionis	§ 18[b]
136, 8—137, 3		§ 16
137, 13—139, 2		§ 11[b]

id est ex compendio metrico, quod saepius eum exscripsisse vidimus. Luce clarior fit res, si Ps.-Draconem pag. 136, 8—137, 3 comparaveris cum Ps.-Hephaestionis § 16 (i. e. Pseudo-Plutarchi cap. II, de quo conferas quae adnotavit Studemundus ad Anecd. Var. I pag. 216, 13 sqq. In tractandis versibus *δεκασχήμοις* Ps.-Plutarchus recte praebet verba: *ἢ τὸ ἀνάπαλιν δύο μὲν δακτύλους, τοὺς δὲ λοιποὺς σπονδείους.* Haec verba et in Ps.-Hephaestionis § 16 et apud Ps.-Draconem desunt; itaque constat Ps.-Draconem non ex Ps.-Plutarcho, sed ex Ps.-Hephaestione hausisse.

Verba Draconis pag. 143, 19—146, 4
147, 6—151, 24
152, 3—154, 23

paucis minutiis exceptis redeunt in tractatu de metro dactylico et de syllabis ancipitibus, qui exstat in codice Havniensi 1965 saec. XV, cuius apographum Studemundianum inspexi, et in codice Ambrosiano A 110 ord. sup. Cum hoc tractatu Ps.-Draco Isaaci Monachi librum confudit:

pag. 142, 18—143, 5	=	Isaacus pag. 182, 15—25
143, 5—9	=	cod. Havn. pag. 627
10—16	=	Isaacus pag. 182, 25—32
143, 17—146, 4	=	cod. Havn. usque ad. pag. 630 med.
146, 6—147, 4	=	Isaacus pag. 179, 29 sqq.
147, 5 sqq.	=	cod. Havn. pag. 630 im. sqq.

Verba Ps.-Draconis cum cod. Havn. congruentia in codice

Havniensi unum et continuum efficiunt tractatum; itaque fieri non potuit, ut is, qui codicem Havniensem exaravit, sua ex Draconis libro hauriret, et omnia quae Ps.-Draco ex Isaaci Monachi libro deprompserat, omitteret. Verba tractatus Havniensis apud nullum alium de re metrica scriptorem legi.

Ps.-Draconis verba pag. 155—161, 14 omisi, quippe quibus metrica non contineantur; ea, quae in partibus libri a me tractatis non commemoravi, Ps.-Draconem ipsum composuisse censeo.

Pseudo-Draco igitur descripsit:

1. Isaaci Monachi librum *περὶ μέτρων ποιητικῶν*, saeculo XIV compositum,
2. Compendia doctrinae metricae, qualia nobis praesto sunt in Pseudo-Hephaestionis libris I, II, V,
3. Tractatum de metro dactylico et de syllabis ancipitibus, qualis exstat in codice Havniensi 1965, saec. XV scripto,
4. Editionem principem 'Scholiorum Hephaestioneorum B' (Florentiae apud Iuntam 1526).

Sequitur Pseudo-Draconem librum *περὶ μέτρων ποιητικῶν* conflasse post annum 1526. Quocum bene ea conveniunt, quae Pulchius in Hermae vol. XVII pag. 180 sqq. exposuit. Et cum Pseudo-Draconis liber in uno tantum codice exstet, dubium vix est, quin idem qui hunc codicem exaravit, auctor libri sit de quo egi.

APPENDIX.

Doctrina de caesuris metri heroici in scriptis de re metrica Byzantinis servata.

De versus heroici caesuris in omnibus fere quos novi libris de re metrica Byzantinis agitur, exceptis 'Scholiis Hephaestioneis B' et Pseudo-Moschopulo. Quodsi doctrinam

in singulis tractatibus servatam accuratius contemplatus eris, statim apparebit:

1. singula caesurarum genera in variis tractatibus diversis significata esse nominibus,

2. non eundem caesurarum numerum in omnibus tractatibus nobis occurrere,

3. exempla ex poetis petita non apud omnes esse eadem.

Vel ex his elucet non ad unum communem fontem omnes de caesuris versus heroici tractatus Byzantinos redire; quod certius fiet, si metricos Latinos comparaveris. Qui cum vetustissimi sint testes, ab his incipiamus.

Agitur de caesuris apud Marium Victorinum (G. L. ed. Keil VI pag. 64, 30sqq.), apud Diomedem (G.L.I pag. 497, 7sqq.), apud Anonymum de caesuris (G. L. VI pag. 645, 25 sqq.).

Marium Victorinum et Diomedem in explicatione *περὶ ποδῶν* et *περὶ παθῶν* versus heroici eundem compilasse fontem demonstravit Westphalius 'Metrik' I[2] pag. 203 sqq., 213 sq.; eandemque rationem esse doctrinae de caesuris ostendit Mangelsdorfius Anecd. Chisian. pag. 19. Argumentum utriusque scriptoris simillimum est. Differunt hac re, quod Marius Victorinus priore loco posuit caesuras principales: penthemimeren et hephthemimeren ('erunt igitur hae duae principales tomae'), posteriore eas, quae non aeque familiares erant: tertium trochaeum et bucolicen; Diomedes rectius caesuras eo ordine enumerat, quem indicat magnitudo membrorum, quae caesura de integro versu deciduntur.

Caesuram 'quartum trochaeum' vel '*κατὰ τέταρτον τροχαῖον*' uterque appendicis loco commemorat: Marius Victorinus pag. 65, 23 'eodem modo et quartus trochaeus accipietur, qui raro admodum reperietur', Diomedes pag. 498, 4 'sunt qui quartum trochaeum in hac caesura conlocant et ex eo *κατὰ τέταρτον τροχαῖον* appellant'.

Huius antiquissimae doctrinae de caesuris, quae 'quartum trochaeum' appendicis loco commemorabat, vestigia apud Graecos de re metrica scriptores non deprehendimus nisi in Ps.-Hephaestionis § 30, quo loco post quattuor caesuras enumeratas legimus haec: *ἕτεροι δὲ προστιθέασι καὶ τετάρτην*

τροχαϊκήν, et in Tractatu Harleiano qui ad eundem fontem redit ad quem Ps.-Hephaestionis liber V (§ 28a—43) pag. 319, 12, ubi haec leguntur: *ἕτεροι* (sic teste Studemundo codices Veneti Marciani 531 et 263 et Bernensis 589) *δὲ προστιθέασι καὶ ἑτέραν τροχαϊκήν*.

Nomina quidem sollemnia *τρίτος τροχαῖος* vel *κατὰ τρίτον τροχαῖον* et *τέταρτος τροχαῖος* vel *κατὰ τέταρτον τροχαῖον* et *τετραποδία βουκολική*, quae apud Marium Victorinum et Diomedem invenimus, in eis quos dixi tractatibus non redeunt. Pro his nominibus Byzantina aetate nomina *τρίτη τροχαϊκή*, *τετάρτη τροχαϊκή*, *βουκολική* usurpata videntur esse; itaque factum est, ut ei tantummodo tractatus, qui antiquioris aetatis doctrina innituntur, veluti Anonymus de re metrica Ambrosianus (Anecd. Var. I pag. 215 sq.), Anonymus de caesuris (G. L. VI pag. 645, 25 sqq.), Tractatus de caesuris § 1 (Anecd. Var. I pag. 158 sq.), explicatio Maximi Victorini (G. L. VI pag. 240, 1 sqq.), Supplementum III ad Dionysium Thracem (ed. Uhlig pag. 123 sq.), haec nomina sollemnia praebeant, in eis autem, qui Byzantina aetate conflati sunt, nomina recentiora nobis occurrant. Ex antiquissima de caesuris doctrina, quam Marius Victorinus et Diomedes servaverunt, iam ante Byzantinam aetatem duae novae doctrinae derivatae sunt, quarum altera quattuor, altera quinque caesuras comprehendebat.

Quattuor caesurae enumerantur in his tractatibus hisce nominibus:

apud Anonymum de caesuris Latinum: penthemimeres, hephthemimeres, tritos trochaeos, tetarte bucolicon (sc. *ποιημάτων* an *ποιητῶν*?);

apud Anonymum de re metrica Ambrosianum: *ἑφθημιμερής*, *πενθημιμερής*, *τρίτος τροχαῖος*, *τετάρτη βουκολική*;

apud [Maximum Victorinum]: penthemimeris, hephthemimeris, cata triton trochaeon, bucolice tome;

in Tractatu de caesuris § 1 (= Anecd. Chisian. § 9): *πενθημιμερής*, *ἑφθημιμερής*, *κατὰ τρίτον τροχαῖον*, *τετραποδία βουκολική*.

in Supplemento ad Dionysium Thracem: πενθημιμερίς, ἑφθημιμερίς, κατὰ τρίτον τροχαῖον, τετραποδία βουκολική.

Hos tractatus propius ad antiquissimam de quattuor caesuris doctrinam accedere censeo, cum ad significanda singula caesurarum genera antiquiora nomina τρίτος τροχαῖος, κατὰ τρίτον τροχαῖον, τετραποδία βουκολική usurpata sint. Longius ab illa forma antiquissima distant recentioribus nominibus utentes hi:

Pseudo-Plutarchus cap. II: πενθημιμερής, ἑφθημιμερής, τρίτη τροχαϊκή, τετάρτη βουκολική (item Ps.-Hephaestio § 15), Helias Monachus pag. 172: πενθημιμερής, ἑφθημιμερής, τροχαϊκή, βουκολική.

Quinque caesuras enumerant: Tractatus de caesuris § 2 (Anecd. Var. I pag. 159 = Anecd. Chisian. § 8), Isaacus Monachus pag. 186, 1 sqq., Pseudo-Draco pag. 126, 3 sqq.

Ad verbum fere congruunt omnes quos dixi tractatus, excepto versu explanatorio falso: πολλὰς δ᾽ ἰφθίμους ψυχάς, quem pro οἰωνοῖσι δὲ πᾶσι apud Isaacum servato affert Tractatus de caesuris § 2. Integrior forma huius Tractatus de caesuris § 2, quae utebatur versu Homerico οἰωνοῖσι δὲ πᾶσι ...., ab Isaaco Monacho compilata est, forma mutilata a scriptore paragraphi 8 Anecd. Chisian.; hanc paragraphum non recte emendavit Mangelsdorfius pag. 15 sq. Nam in Tractatu de caes. § 2, qui nobis praesto est, τρίτη τροχαϊκή ea caesura est, quae fit, quotiens in secundo pede pars orationis finitur cum trochaeo, τετάρτη τροχαϊκή, quotiens idem fit in pede tertio. Quamquam hanc doctrinam perversam esse nemo est quin intellegat, tamen cum et versus οἰωνοῖσι | δὲ πᾶσι ad τρίτης τροχαϊκῆς, et versus Τρώων ῥῆξε φάλαγγα | ad τετάρτης τροχαϊκῆς explicationem in § 2 traditam quadrent, errores illos non corrigendos esse censeo.

Ad duo igitur fontes tractatus de caesuris, de quibus egi, redeunt, quorum fontium alter quattuor, alter quinque

caesuras comprehendebat. Hos quoque fontes ex vetustissima doctrina apud Marium Victorinum et Diomedem servata derivatos esse supra pag. 50 vidimus.

Facere non possum quin hoc loco singulares gratias agam Guilelmo Studemund, praeceptori meo carissimo studiorumque meorum rectori fidelissimo, cuius beneficiis in me conlatis in perpetuum sum devinctus.